SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA

Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 186v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.L.

uilem cum uideat talia maioris uirtutis sepe existere. Sepe enim quod natura aufert rei exterius recompensat eidem interius. Unde dicitur quod natura illud quod abstulit accipitri in corporis quantitate recompensauit in animi animositate. Item quod natura abstulit fico et uiti in pulchritudine exteriori recompensauit in fructus dulcedine. Durum caput uidetur exterius sed plenum est substantia molli interius. Dura exterius parent ossa sed dulci sunt plena intus medulla. Durum habent corticem siue nuces auellane castanee et pynee sed dulci nucleo intus sunt plene. Decimo humilitas non solum est boni adductiua sed omnis timoris noxii expulsiua. Et secundum hoc similis est saphyro cuius uirtus timoris est repulsiua et ad modum anisi aneti et feniculi omnis uane uentositatis est consumptiua. Cassia fistula quamuis exterius ualde nigra est tamen intus dulcis et humida et tamen admodum tenuinellis interius est distincta. Et est illa optima que est grossa et ponderosa que significat eam habere humiditatem multam. Namque leuis est et sonora abicienda est tamquam uana.

Humilitas est ponderosa moribus et humorosa uirtutibus. Sed contra superbia est leuis et uana nulla stabilitate fulcita. Cyminum quamuis in colore sit pallidum est tamen aromaticum. Est fumositatis subtiliatiuum. Est cordis confortatiuum est uentositatis consumptiuum. Est doloris et inflationis stomachi restrictiuum. Ob hanc eandem causam est humilitas ciceri simillima cuius uirtus est omnis inflationis et doloris oculorum mitigatiua. Est et alia causa quare humilitatem significat. Quia toto tempore hyemis quantumcumque intensum frigus sit suum uirorem non perdit. Sed in calore estatis penitus deficit. Ita humilitas si uera sit in tribulatione uirescat quam sepe corrumpit consolatio temporalis